



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniuersæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtutes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 10. Circa Suspensionis effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Secl. II. De Suspensione. Dubia. 283

57 *Communiter*
hanc senten-
tiam am-
plius.
A communi sententia affirmante, suspen-
sionem, quæ proprie pœna est priuans iure
quæsto proprio, nullatenus contrahi ob cul-
pam alienam, sed ob propriam, non rece-
dam. Concedo enim, suspensa communita-
te, tam nocentes, quam innocentes illius
suspendi: sed non quoad se, & secundum mu-
nus, quod singuli, vt personæ particulares
exercere possunt; sed tantum quoad actiones
totius communis, quæ deliquit, & ipsi
sunt membra. Quod non est, singulares com-
munitatis personas puniri, sed communita-
tem ipsam delinquentem. Porro suspensio illa
puri ante legitimam ætatem ordinati non est
proprie pœna aut Censura, sed quædam prohi-
bitio, quæ ad irregularitatem reducitur ob im-
proportionem, & inhabilitatem, quam quis
habet cum officio ordinis exercendo ante æta-
tem legitimam, cuius decentia, ac reuerentia
in illa prohibitione consultitur.

DUBIVM VII.


An ob culpam suspensio possit in-
ungi?

58 *Potes- qui-*
dem.
Potes per culpam venialem inungi. Quia
hæc sufficit ad excommunicationem mino-
rem incurrendam, quæ quidem grauior pœna
esse videtur, quam suspensio, cum priuet maio-
ribus bonis, hoc est Sacramentorum vtu, & re-
ceptione. Sic Caietanus verbo *Suspensio*. Ar-
milla verbo *Eodem*, in principio. Nauarr. *summa*
capite 27. numero 151. 159. & 165. Medina
libro primo, summa capite vndecimo, Paragra-
pho octauo. Henriquez *libro decimo tertio, capite*
trigesimo quarto, numero primo, Auila parte
tertia, disputatione tercia, dubio tertio, conclusio-
ne prima.

59 *Non potest.*
Non potest, si de suspensione loquamur, vt
communiter fertur. Quia suspensio ex se graue
malum est, ideoque grauem culpam supponit.
Ita Sotus in 4. dist. 2. q. 3. a. 1. Suarius d. 28. sect.
4. n. 6. Valquez 1. 2. d. 5. n. 49. Coninch. d. 15.
dub. 3. concl. 2. n. 24. Hurtado hic, diff. 7. n. 19.
Layman. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. Sanchez 1. 2. d. 32. n. 9.
& alii.

60 *Pro defen-*
da, commu-
niter loquē-
da.
Existimo probabilius esse, huiusmodi sus-
pensionem, (id est, vt communiter ferri assolet)
neque à iudice ob leuem culpam infligi, ne-
que in iure impositam esse. Fateor, excom-
municationem minorem bonis excellentiori-
bus priuare. At illa priuatio facile tolli potest,
cum quilibet Sacerdos valeat absolutionem il-
lius impertire: quod in suspensione non pro-
cedit: vnde hoc ex capite grauior pœna esse
videtur. Notanter autem dixi *Communiter*; nam
aliquam suspensionem ad modicum tempus
probabile esse, à Indice ferri posse ob
leue piaculum, vt Sancius, Hur-
tado, & Layman. locis
citatis annotaue-
runt.

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.



CAPVT X.

Circa Suspensionis effectus.

DUBIVM VIII.

Suspensus absolute ab officio potestne
ad beneficium eligi
licite?



OTEST quidem. Quia c. *Vel nō*
est compos. de temporib. ordinand. Potest qui-
dem. *Potest qui-*
dem. *dem.*
præscribitur, de beneficio Ec-
clesiastico provideri ordinato
ante legitimam ætatem. Sic
Galp. Hurtad. de *suspens. diff. 4. n. 8.*

Minime potest. Quia beneficium datur
propter officium. cap. *final. de rescript. in 6.* Er-
go impedito exercere officium, merito benefi-
cium denegatur. Ita Coninch *disp. 15. dubio 2.*
conclus. 3. Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 3. c. p. 1. n. 3.*
Henric. l. 1. c. 2. n. 3. Auila *part. 3. disp. 2. dub. 1.*
conclus. 5.

Merito hi Doctores censent illicite prædi-
cto suspensio etiam tolerato beneficium Eccle-
siasticum conferri. Non enim obest textus in
cap. *Vel non est compos.* Quia illa non est pro-
pria suspensio, sed prohibitio, & præceptum,
ne ante legitimam ætatem Ordinem rece-
ptum exerceat. Et casu, quo suspensio propria
esset, non est suspensio absoluta, sed pro deter-
minato tempore, ideoque non impedit benefi-
cij collationem, cuius officium illo tempo-
re suspensionis non est necessario exer-
cendum.

DUBIVM IX.

Beneficij collatio facta suspensio estne irri-
ta ipso iure?

IRrita non est, sed irritanda, Quia nullus est
textus, ex quo irritatio ipso iure colligi pos-
sit. Sic Abbas ad cap. *Vel non est compos. num. 4.*
de temporib. ordinand. Hurtado de *suspens. diff.*
4. num. 8. Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1. numer. 4.*
Suarius *disp. 26. sect. 3. num. 8.* Coninch. *disp. 15.*
dub. 2. concl. 3.

Irrita ipso iure est. Quia Cap. *Cum bona me-*
moria, de etate, & qualis. respondet Pontifex de
iis, qui durante suspensione beneficia conse-
quuti sunt, non licere ea retinere. Præcipitque
illos prædictis beneficiis spoliari. Signum ergo
est, collationem irritam fuisse. Ita Gloss. ad cap.
Cum bona. verb. Suspens. & ad c. *Cum dilectus,*
verb. Cessantibus, & ad c. *De inquisitione, de*
elect. Lessi. Nauarr. Flamin. & alii plurimi, quos
refert, & sequitur Nicolaus Garcia de benefic.
part. 7. c. 14. a. num. 1. Bonacin. tom. 3. de Censur.
d. 3. punct. 2.

Cum his probabilis opinor. Nam si colla-
tio beneficij irrita non esset, licite illi ea bene-

A a 3

ficia

61
Potest qui-
dem.

62
Non potest.

63
Hanc præ-
fero senten-
tiam.

64
Non est ir-
rita ipso iu-
re.

65
Irrita ipso
iure est.

Cum his
probabilis
opinor.

ficia retinerent. Idque indicat verbum *Spoliare*, quod solum conuenit ei, qui rem vlturpam habet. Idemque colligitur ex *c. Cum dilectus*, & *c. Per inquisitionem*.

DVBIUM X.

An Suspendus ab officio sit eo ipso à beneficio suspendus?

66 *Non est.* Suspendus absolute ab officio, eo ipso à beneficio suspendus est. Quia beneficium est officio accessorium. *c. fin. de rescript. in 6.* Ergo prohibito principali, accessorium ceteri debet esse prohibitum. Argum. Regulæ Accessorium, de reg. iur. in 6. & Leg. Oratio, ff. de sponsal. Sic Gloss. ad *c. Latentes*, v. *Ab officio*, de Cler. ex. commun. ministrante. Palud. in 4. dist. 18. q. 7. a. 3. concl. 3. Bernard. Diaz. pract. crim. cap. 73. num. 2. Nauarr. libr. 1. consil. titul. de tempor. ordinat. consil. 44. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 18. punct. 1. pronunc. 2.

67 *Non est.* Suspendus absolute ab officio non est à beneficio suspendus. Quia aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando à beneficio, aliquando ab utroque simul. Colligitur ex *c. Inter, de purgat. Canon.* & *c. Tam litteris*, de testib. & attest. & *c. Quanto*, de offic. ordinand. & cap. Quisquis, de elect. & cap. Quia saepe, eodem titul. in 6. & cap. 2. de fideius. scrib. ubi tanquam res distinctæ suspensiones ab officio enumerantur. Ita Vgolinus tab. 4. de Cens. c. 6. §. 6. Henriquez l. 13. c. 32. n. 1. Sayrus l. 4. thes. c. 5. n. 16. Sanchez l. 3. de matr. d. 51. n. 12. Auila p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 6. Coninch. d. 15. dub. 2. concl. 3. Suar. d. 26. sect. 3. num. 4. & alij.

68 *Idem affirmo.* Ex eo quod in testibus citatis tanquam res distinctæ suspensiones ab officio enumerari video, colligo, signum validum esse, suspensionem ab officio non comprehendere à beneficio suspensionem. Alias superflue hæc vti distinctæ exprimerentur. Quare si suspendus ab officio satisfaciatur obligationibus beneficii quantum est in se, per se, vel per substitutum, beneficii fructus percipere poterit.

DVBIUM XI.

Debenturne fructus beneficii suspendo ab officio Sacramenta Ordinis ministranti, aliâque diuina officia exercenti?

69 *Non ei debentur fructus.* Si suspendus ab officio Sacramenta ministret & officia diuina solemniter in choro exerceat, quibus per suspensionem priuatus est: non lucratur fructus, & distributiones illis officiis inique exercitis correspondentes. Quia fructus illi, & distributiones conceduntur ob ministerium ab Ecclesia acceptum. At ministerium illud Ecclesia non accipit, imo potius de testatur. Ergo ob illius exercitium præmium fructuum concedere non debet. Sic Rebuff. praxi benefic. titul. de simonia in resignat. num. 15. Gouarruias libr. 4. decretal. part. 2. de suspens.

num. 171. Vivaldus Candelab. part. 2. de suspens. num. 171. sine.

Lucratur quidem eos fructus. Quia penz extendendæ non sunt absque textu manifesto: at nullibi habetur, suspendum, qui exercet officium, à quo est suspendus, fructibus tali officio correspondentibus priuari ipso iure. Ergo lucratur. Ita Auila p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 3. Nauarra de rescript. l. 2. c. 2. p. 2. diff. 5. num. 243. Sanchez l. 3. de matr. d. 51. n. 12. Henriquez l. 13. c. 32. n. 3. & c. 14. n. 3. & c. 32. n. 3.

Hoc verius esse reor. Nam si rem furtiuam detinens laborem aliquem impendas, poteris mercedem laboris illius percipere, vt commun. esse videtur. Ergo etiam poterit ille detinere fructus officio correspondentes, quod in beneficii utilitatem fuerit impensum. Profecto fructus dantur propter ministerium vtilitatis Ecclesie, & ab ea acceptum tanquam validum, quod à suspensio fieri potest, esto non licite.

DVBIUM XII.

Suspendus absolute ab officio habetne vocem in Capitulo?

M inime habet. Quia vocem in Capitulo habere, est vltus & exercitium Ecclesie. Non habet. Sic Gloss. ad *c. Cum dilectus*, v. *A suspens.* Panormit. ibi, n. 20. de consuetud. Felin. ad *c. Apostolica*, de exceptionib. Sayr. l. 4. thes. cap. 5. num. 12.

Habet profecto. Quia suffragium in Capitulo ferre, per se non est ordinis exercitium, cum laicis conuersis competat iuxta Glossam ad *c. Eo, v. Electionibus*, l. 6. Itemque Monialibus ex Glossa in Clement. vi. ij. de arate, & qualis. verb. *Anticipari*. Neque etiam est vltus alicuius iurisdictionis Ecclesiasticæ, cum feminæ, & laici hanc vocem habeant, & Ecclesiasticæ iurisdictionis incapaces existunt. Ita Palao de Cens. d. 4. punct. 5. §. 1. n. 9.

Doctissimi viri amicissimi placito subscribo id probabilius esse iudicans. Dum enim video manifeste non esse officium Ordinis, colligo, ex suspensione ab officio nequaquam priuationem vocis in Capitulo inferri posse. Quod & Sayrus concedit, quando hæc vox ratione beneficii suspensum competit.

DVBIUM XIII.

Suspendus ab Ordine inferiori, e/ ne à maiori suspendus, etiam si maioris usus possit præstari sine minoris exercitio?

Est à maiori suspendus. Quia ei, ceteris minoris momenti prohibitis sunt, dedecet maiora concedi. Sic Nauarr. summ. c. 27. num. 163. Henriquez l. 13. c. 32. n. 2. Sayr. l. 4. thes. c. 5. regula 1. qui quidem aliquas limitationes adhibet eam regulam destruentes.

Non est suspendus à maiori. Quia in penis suspensio à maiori stricta interpretatio facienda est. Neque vltus maioris est.

Seçtio 11. De Suspensione Dubia. 275

est inconueniens, quod minori honore priuatus maiorē retineat. Hoc enim solum probat, delictū ob cuius causā suspensio lata fuit, non ita graue fuisse, vt vtriusque honoris maioris, & minoris priuationem mereretur. Ita Suar. d. 26. sect. 4. n. 11. Hurtad. de Susp. diff. 4. num. 9. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 6. Coninch d. 15. dub. 2. n. 10. Filliuc. tr. 17. num. 15. & 29.

Sciens primam sententiam communem esse, secundam sustinendam esse censuerim ob præfatam rationem. Vnde qui ab Ordine inferiori est suspensus, prohibitus non est superiorem inferiori minime annexum exercere. Vt si suspensus est à Diaconatu, poterit absol. vere, extremam vñctionem ministrare. Et suspensus à Sacerdotali officio, poterit Episcopa. le munus exercere in iis, quæ Sacerdotalis Ordinis vñum non prærequirunt.

D V B I V M X I V.

Episcopus suspensus à collatione Ordinis inferioris, censeturne à superioris collatione suspensus?

Censetur quidem. Quia in *Leg. Legatorum*, §. *fin. de interditi*, affirmatur, ei, cui honor inferior interdictus est, maiores quoque interdictos censi debere. Deinde indignus est *Leg. Qui indignus*, ff. *de senatorib.* Ergo idē erit in præsentī argum. c. *Cum illorum*, de sentent. excommunicat. ibi: *Cum maiora intelligantur illi prohibita, cui verita sunt minora.* Sic Hostiens. ad Cap. 1. *Cum dilectus de tempor. ordinat.* v. *Suspensio*, n. 5. Sayr. l. 4. thes. 3. nu. 3. Bonac. 10. 3. de susp. d. 3. pun. 2. n. 7. Syluest. v. *Suspensio*, n. 5. Henr. l. 13. c. 3. 2. n. 2. Auila p. 3. d. 2. dub. 2. concl. 11. Vgolin. tab. 4. c. 6. §. 6. Tolet. l. 1. c. 43. Reginal. l. 31. n. 15.

Non censetur. Quia id decidi videtur in c. *ult. de tempor. ordinat.* l. 6. Vbi Episcopus suspensus à primæ tonsuræ collatione, non censetur ex cōmuni sententia suspensus à collatione reliquorū Ordinū. Et c. *Litteras*, de tempor. ordinat. Suspēditur Episcopus à collatione Diaconatus, & Presbyteratus. Si autem facta suspensione pro ordine inferiori ad superiorem censetur extēsa, vt quid Pontifex exprimeret Presbyteratus suspensionē, posita suspensione Diaconatus. Ita Hurtad. de suspens. diff. 4. n. 10. Coninch d. 15. dub. 2. n. 10. Filliuc. tr. 17. n. 25. & 29. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. Suar. d. 26. section. 4. n. 11.

Probabilius existimo, suspensum à collatione inferioris ordinis non esse suspensum à superioris collatione, aut e contra, quando vñum sine altero potest exerceri. Concedo namque indignum minore, & maioris esse indignum, quando ex se, & absolute indignus est: secus quando fit indignus in pœnam delicti commissi. Vel dic, indignum minori honore, seu cui minor honor interdictus est, expedire quidem interdicti maiorem: non tamen de facto interdictum esse.

D V B I V M X V.

An suspensio à beneficio inhabilem reddat ad beneficium suscipiendum?

Reddit inhabilem. Quia beneficium est ius suscipiendi fructus, iure inquam radicali, quo per suspensionē priuatus es. Coninch d. 15. dub. 2. n. 14. asserit sententiam esse communem.

Inhabilem non reddit, sed valida est beneficij collatio, etsi ope Iudicis veniat irritanda. Quia nullus est textus, ex quo irritatio ipso iure colligatur. Ita Coninch. citatus. Layman. lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 3. Suarius disp. 27. section. 1. num. 26.

Cum his opinor. Verum enim non est, per suspensionem te priuari iure radicali percipiendi fructus: alias titulo beneficij possessi priuaretis; sed solum priuari iure proximo, libero, & expedito prædictos fructus percipiendi. Imo Suarius ibi, nu. 27. merito probabile reputat, si nullum beneficium habens crimen perpetres, cui annexa est suspensio à beneficio te non esse priuatum, noui beneficij acquisitione. Quia hæc pœna censetur ferri aduersus beneficiarios, qui ex suspensione à beneficiis possessis suspenduntur, & ex consequenti priuantur aliis acquirendis.

D V B I V M X V I.

Sub suspensione à beneficio comprehenduntur distributiones quotidianæ?

Comprehenduntur. Quia suspensio à beneficio fructibus beneficij omnino priuat. At distributiones solis beneficiariis conceduntur. Ergo eo ipso censetur intuitu beneficij concedi. Igitur quotidianæ distributiones sub suspensione à beneficio comprehenduntur. Sic Glof. in Clement. 2. verb. *Suspensio*, de vit. & honest. Cleric. Zabarel. lib. 6. Anchar. n. 3. Felin. ad cap. *Apostolica*, de exception. numer. 23. Vgolin. tab. 4. cap. 8. Paragraph. 2. Sayrus libr. 4. thes. cap. 6. numer. 11. Bonacin. de cens. disp. 3. punct. 2. numer. 14. Filliuc. tractat. 17. numer. 44.

Non comprehenduntur. Quia distributiones illæ non intuitu beneficij, sed in officij stipendium conceduntur. Vnde qui Choro non adest, licet beneficiarius sit, distributiones illas non percipit. Quia non adimpleuit officium, cui erant annexæ. Ita Tuscus l. 2. de visitat. & regim. Eccl. c. 19. n. 10. Couar. l. 3. var. c. 13. nu. 8. Hurtad. hic, diff. 4. num. 10. Sayrus l. 4. thes. c. 6. num. 11.

Ego distinctione vtendum esse credo. Si distributiones enim sint ex fructibus beneficij extractæ, eo quod fructus beneficij in distributiones quotidianas fuerint diuisi, verissimam esse iudico priorem sententiam, Quia illæ non

81
Reddit inhabilem.

82
Non reddit inhabilem.

83
Cum his opinor.

84
Comprehenduntur.

85
Non comprehenduntur.

86
Per distinctionem.

tam sunt distributiones, quam beneficij fructus, cum etiam ab infimis, ac legitime absentibus obtineantur. At si distributiones illae non ex fructibus beneficij fuerint extractae, sed ex peculiari fidelium fundatione, esto solis beneficiariis applicentur, credo sub suspensione à beneficio non comprehendi, Quia, ut fert secunda sententia, non beneficij intuitu, sed in officij stipendium impertiantur.

D V B I V M XVII.

Sub nomine fructus beneficij, quo suspensus à beneficio priuatur, comprehenditurne collatio, & electio ad beneficium titulo beneficij competentis?

⁸⁷ *Comprehenditur.* **C**omprehenditur collatio, & electio ad beneficium titulo beneficij competentis. Quia cum à beneficio proueniat, inter beneficij fructus debet computari. Sic Navar. summ. capit. 27. numer. 160. Sayrus lib. 4. thesaur. capit. 4. numer. 7. Henriquez lib. 13. capit. 32. numer. 4.

⁸⁸ *Non comprehenditur.* **N**on comprehenditur. Quia id aperte colligitur ex Cap. Cum in eundis, §. ultim. de elect. Vbi ultra suspensionem à beneficiis dicitur priuatio potestatis eligendi. Ergo signum est, sub suspensione à beneficiis hanc priuationem non contineri. Ita Suar. d. 27. section. 1. n. 4. Filliuc. tractat. 17. num. 46. Coninch. d. 1 §. dub. 2. n. 1. Layman. lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1. num. 4. Bonacin. de Censur. d. 5. punct. 2. num. 12. Hurtad. de Susp. difficul. 4. num. 9. Anila part. 3. disp. 2. dub. 1.

⁸⁹ *Verius hoc.* **V**erius esse hanc sententiam existimo. Quia potestas eligendi, & conferendi beneficia, etsi à beneficio proueniat, non est beneficij usus, sed officij ex beneficio competentis.

D V B I V M XVIII.

Si suspensio alternatim ab officio, vel beneficio feratur, producitne effectum ipsius?

⁹⁰ *Questionis status.* **A**liquando suspensio profertur sub distinctione, ab officio inquam, vel beneficio. Et à Doctoribus controuersia excitatur, quem habeat effectum? Quasi serim itaque, an vllum sortiat effectum huiusmodi suspensio?

⁹¹ *Producit effectum.* **A**liquem producit effectum: comprehendit enim tā suspensionē à beneficio, quā ab officio. Quia cum nulla addit ratio, ob quam magis ad beneficij suspensionem, quā ad officij referatur ne illa sententia irrita sit, censenda est, utraque suspensionē comprehendere. Sic Glos. ad c. A Cr. p. 1. v. Beneficio de vita & honest. Cleric. Hostiens. ad c. Latores, de Cler. excom. ministr. n. 7. Hurtado de Susp. diffic. 4. num. 11. existimat, in voluntate suspensum situm esse effectum huius censuræ: sicuti cum pena pecuniaria, vel

exilio quis! condemnaretur. Quod si reus noluerit eligere, ut tenetur, credendum est, utraque suspensionem ex mente legislatoris affici.

Nullum effectum producit ipso iure. Argum. Leg. 3. C. de sententia, qua sine certa quantitate profer. Vbi deciditur, sententiam in certam, & in determinatam nullam esse. At sententia suspensionis lata sub illa forma indeterminatam, & incertitudinem habet: Ergo. Ita Panormit. ad Cap. Latores, num. 7. Syluest. verb. Suspensio, nu. 5. Tabie. & Rosel. ibi. Navar. c. 27. n. 16. Maiol. l. 2. de irregul. c. 19. num. 14. Vgolin. tab. 1. de Censur. c. 20. §. 3. num. 4. Henriquez lib. 13. capit. 32. numero quarto Sayrus lib. 4. thesaur. capit. 7. numer. 3. Ludouic. Lopez p. 2. instrum. num. 97.

Hoc verius esse credo. Nec enim verum est obligatum esse delinquentem eligere, quia suspensionem affici vellet, nam hac obligatione non adstringitur ante delictum commissum, ut de se constat; commissio autem delicto, statim in suspensionem incidere debebat: alias non esset suspensio ipso iure. Ergo nequit ab electione delinquentis dependere. Profecto alienum est quemlibet obligare, suarum penarum executores esse. Neque est simile de sententia condemnatoria ad solutionem pecuniarum, vel exilij. Quia hæc non annectitur delicto, sed post delictum commissum fertur; ideoque cōpelli potest delinquens, ut vnum è duobus eligat. Hæc mei Gasparis Hurtado ventia dixerim.

D V B I V M XIX.

Pro violatione suspensionis ab Ordine Sacro, pro determinato tempore appositæ incurriturne irregularitas?

⁹⁴ **S**uppono graue peccatum esse ex suo genere, suspensionis violationem. Eximi vero suspensum ab officio non denunciatur, si ad aliorum petitionem Sacramenta ministrat. Denunciatur vero non posse extra vgentissimam necessitatem officia, à quibus est suspensus, exercere. Demum ob violationem suspensionis in Ordine contrahi irregularitatem. Capit. x. de sentent. & re indica. libr. 6. Cap. Cum medicinalis de sentent. excommunicat. eodem lib. Extrauag. Pij II. incipiens, Cum ex Sacrorum. Iam requiro, num pro violatione suspensionis ab Ordine Sacro pro determinato tempore appositæ irregularitas contrahatur?


⁹⁵ **N**on contrahitur ob violationem suspensionis pro determinato tempore appositæ, & in puram penam delicti commissi: sed in suspensionem absolutam lata pro contumacia suspensi coercenda. Quia cum absit contumacia, quæ illa censura erat contumenda, de pietate Ecclesiæ colligitur huiusmodi cum suspensio vi benignitate. Sic Manuel Sà, v. Irregularitas ex Ordinis abusu, numero septimo ait: si aliquis sit suspensus solum ad tempus, multi censent, si celebrat,

Sectio II. De Suspensione Dubia. 277

lebet, non fieri irregularem.

96
Citrabitur.
de sent. & re iudica. in 6. præscribitur. Et idem traditur Cap. de sent. excom. in 6. Ita Suar. d. 16. sect. m. 3. Filluc. tract. 17. m. 193. Sayrus lib. 4. thes. c. 16. num. 30. Bonac. de cens. disput. 3. p. m. 4. m. 6.

97
Hæc certum
est recit.
Hanc sententiam certam omnino esse non dubito. Nam in cap. illo de sent. & re iudicata Index ordinarius, vel delegatus, qui contra iustitiam quidquam gesserit in gravamen partis alterius &c. ab executione officii per annum suspenditur. Quod si suspensione durante dam-
nabiliter se divinis ingesserit, irregularitatis la-
queo se involuet, secundum Canonicas Sanctio-
nes, a qua non nisi per summum Pontificem pote-
rit liberari.



CAPVT XI.

Circa Suspensionis suspensionem, & absolutionem.

DVBIVM XX.

Suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesie absolute lata, & incurta, si postmo-
dum à Iudice pro aliquo tempore suspen-
datur per appellationem interpositam il-
lo medio tempore, habetne effectum?

98
Nulla
suspensio.

98
Nulla
suspensio.
RESPONDO suspensionem an-
te incursionem appellatione pos-
se suspendi, si appellatio sit ra-
tionabilis, & legitima: suspensio-
nem vero subsecutam ab appel-
latione subsecuta non suspendi. Vnde infer-
tur suspensionem à beneficio per appellatio-
nem suspendi. Quia non continetur sub sus-
pensione ab officio, & ingressu Ecclesie, quæ
excepta sunt in c. Is cui, de sent. excommuni-
c. in 6. Quæritur vero, num suspensione ab of-
ficio & ingressu Ecclesie absolute lata & in-
curta, si postmodum à Iudice pro aliquo tem-
pore suspendatur per appellationem illo
medio tempore interpositam, eius effectus
impediatur?

99
Effectum
habet.

99
Effectum
habet.
Effectum habet. Quia illa censura iam est
incurta, & secum trahit executionem, tametsi ex
benignitate Iudicis pro aliquo tempore eius
effectus suspendatur. Sic Panormit. ad c. Ad hac
quoniam, de appellat. Innocent. ad cap. Cum
inter, de consuetud. Baldus ad Leg. Cum aliis, C.
Si à curat. furios. & ad Leg. fin. vers. & circa hoc
C. si à non compet. Iudice. Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 1.
n. 10. & alij à Glossa relati.

100
Non habet
effectum.

100
Non habet
effectum.
Per appellationem interpositam illo medio
tempore, quo censura suspensa est, eius effe-
ctus impeditur. Quia id manifeste colligitur
ex c. Delictis de appellationib. Vbi quidā Deca-
nus, qui sententiā interdicti tolerat, eaque pro
aliquo tempore suspenderat, reprehenditur à

Pontifice, eo quod appellationi illi medio tem-
pore interposita, non detulerit. Sentit ergo
Pontifex & appellationem legitime interpō-
ni, & efficacem esse ad censuræ effectum
impediendum. Ita Glossa ad c. Ad hac quoniam.
v. Interdictus & ad c. Dilectus, v. Suspendendus.
Abbas ad c. Ad hac quoniam, n. 5. Angel. v. Inter-
dictum §. n. 4. Tabiena v. Interdictum 1. §. 1. Fe-
deric. de Senis conf. 208. Rota decis. 434. Alteri.
de interdicto disput. 11. capit. 5. fine. Sayrus lib. 4.
thes. c. 9. numer. 4. Bonacin. tom. 1. de censur. d. 3.
punct. 11.

Verius hoc. Quia appellatio vim habet sus-
pendendi censuram, quando secum non tra-
hit executionem: At stante suspensione Iudi-
cis, censura secum executionem non trahit, si-
quidem suspensus æque liber est ab effectibus
censuræ ac si nunquam ea adstrictus fuisset.
Porro si quis suspensionem tulisset sub aliqua
conditione, non est dubium, ante conditionem
appositam appellatione suspendi posse; quia
visque quo conditio ponatur, censura non ha-
bet effectum. At cum censura pro aliquo tem-
pore suspenditur effectum non habet, quovis
que illud tempus sit elapsum: ergo interim ap-
pellatione suspendi potest, ne effectum elapso
illo termino habeat.

101
Perior hæc
sententia
mibi.

DVBIVM XXI.

Suspensio ab officio vel ab ingressu Eccle-
sie, qua non est Censura, sed pura
pena, suspenditurne per ap-
pellationem?

NON suspenditur eius effectus. Quia textus
in c. Is, cui, de sent. excom. in 6. absolute de-
cit, per sequentem appellationem non suspen-
di suspensionem ab officio, vel ingressu Eccle-
sie: ergo quocumque modo suspensio appositæ
sit, siue in correctionem delicti, siue in illius
punitiōnem subsequenti appellatione non
suspenditur; secum enim trahit executionem.
Sic nonnulli.

102
Non suspē-
ditur.

Suspenditur equidem. Quia textus ille eam
suspensionem ab officio, & ab ingressu Eccle-
sie decidit subsequenti appellatione non sus-
pendi, quæ est excommunicationi similis: vt
constat ex illis verbis: Sicut excommunicatiq.
&c. At excommunicatio nunquā induit ratio-
nem puræ pœnæ, sed semper retinet naturam
censuræ: ergo pro sola suspensione, quæ censu-
ra est, illa textus decisio intelligitur Ita Abbas
ad c. 2. de Cleric. excom. mini. l. r. n. 2. & ad c. Sape
de appellat. n. 16. Palao de cens. d. 4. punct. 7. n. 7.

103
Suspenditur.

Dicendum existimo, suspensionem, quæ est
pura pœna, per sequentem appellationem sus-
pendi, textumque c. Is cui, intelligi de suspen-
sione tantum, quæ est censura. Et quidem odio-
sum est, negare appellationi hanc vim, & effi-
caciā impediendi effectum sententiæ latæ.
Ergo dum manifesto textu, vel ratione non
convincimur, asserendum non est.

104
Idem vnicui
admittit.

DVBIVM